

Acta curiae archiepiscopalis Olmucensis.

Nr. 11.

1911.

Nr. 3.152.
Consist. 18069.

Promotio Suae Illustrissimae ac Reverendissimae Archiepiscopalis Celsitudinis ad dignitatem Cardinalitiam.

Sub inscriptione:

Secretaria di stato No. 53747 : Dal Vaticano 27. Novembre 1911.

ad Illustrissimam ac Reverendissimam Archiepiscopalem Celsitudinem hisce diebus sequens pervenit epistola:

La Santità di Nostro Signore, **Pio Papa X.**, nel Concistoro Segreto di questa mattina si è benignamente dignata di elevare alla Dignità Cardinalizia l' Illmmo e Revmmo Monsignor

FRANCESCO BAUER

Arcivescovo di Olmütz.

Tale grazioso atto di Sovrana considerazione del Santo Padre si partecipa al Signor Cardinale Bauer per sua intelligenza e norma.

R. Card. Merry del Val.

Monsignore
Francesco Bauer
Arcivescovo di
Olmütz.

Præter hanc epistolam traditum ipsi sequens Breve Apostolicum:

PIUS PP. X.

Dilecte fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex more institutoque Romanorum Pontificum eos viros in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptamus, qui incenso religionis pietatisque studio non minus quam doctrina, prudentia atque immutato erga Apostolicam Sedem obsequio praestantes, Augusto eidem Senatui magno sint decori et conspicuo Nobis in tot tantisque Ecclesiae negotiis adiumento. Te igitur, dilecte fili Noster, qui in episcopali munere obeundo tam praeclara virtutum omnium testimonia praebuisti, peculiari benevolentia complectentes, inter S. R. E. Cardinales hoc mane libentissime adscripsimus, quum persuasum habeamus, novum huiusmodi tuum excelsumque ministerium haud parvo Ecclesiae usui futurum. Quapropter, dilecte fili Noster, tibi, ita per Nos Romana Purpura cohonestato, sublimis huius dignitatis unum ex insignibus, idest purpureum birretum per dilectum filium JOSEPHUM PESCHINI, intimum Aeditum Nostrum, mittimus, ut, postquam illo reverenter fueris exornatus, huius splendidissimae purpurae nota admoneri te intelligas, in Cardinalitia dignitate constitutum adversus quaecumque pericula intrepidum invictumque pro Ecclesia Dei stare oportere usque ad pretiosam in conspectu Domini sanguinis effusionem. Quem vero ad te mittimus egregium virum, cuius eximia merita sunt Nobis amplissime comperta, magnopere exoptamus, ut sive ob rem ipsam, quae mittitur, sive Nostra causa benigne excipias, omnibusque officiis prosequaris. Volumus autem, ut antequam birretum ipsum accipias, iuramentum secundum exemplar a dicto JOSEPHO PESCHINI tibi exhibendum, omnino praestare, illudque tua manu subscriptum ad Nos vel per eandem vel per aliam personam mittere tenearis.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Novembris MCMXI Pontificatus Nostri Anno Nono.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

Dilecto Filio Nostro
FRANCISCO S. R. E. Presbytero Card. BAUER.
*Ex concessione et dispensatione Apostolica
Archiepiscopo Olomucen.*

Quæ ita Celsissimo Antistiti eminens collata dignitas in laudem quoque vertat archidioeceseos ejusque fidelium salutem!

Nr. 18330.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO

DIE XCVII NOVEMBRIS ANNO MCMXI

VENERABILES FRATRES

Gratum quidem est, quod satis longo post intervallo licet Nobis amplissimum Ordinem vestrum alloqui praesentem, cui sane omnia, quaecumque vel laeta vel tristia Nobis accidunt, scimus, ob singularem vestram Nobiscum coniunctionem, esse communia. Iam diu enim habuimus in animo vos convocare, ut coram de iis ageremus, quae Nos in gubernanda per medias tot difficultates Ecclesia Iesu Christi maxime sollicitant; sed nostis, Venerabiles Fratres, quae Nos causae rem in hunc diem differre compulerint. Quamquam opem Dei ad sustinendas vires, ad consolandos labores Ecclesiae militantis experimur assiduam; sed tamen non possumus, quin simul has tantas acerbitates temporum sentiamus.

Annus enimvero, qui iam est in exitu, peculiarem in modum Nobis luctuosus fuit; id plane omnes intelligunt. Equidem non in hoc immorabimur, quanto Nos maerore itemque filios, quotquot ubique sunt, Ecclesiae devotos affecerit clamorosa illa commemoratio celebratioque factorum, unde tam multa tamque gravia vulnera, quanta usque adhuc iniusta sunt iuribus Sedis Apostolicae, nemo ignorat esse profecta. Neque enim satis esse visum est eventus tales publicis commemorari sollemnibus: placuit iniuriosam rerum memoriam iniuriis celebrari novis, importunas anno vertente declarationes odii in fidem catholicam saepius iterando; quod maxima cum offensione totius catholici nominis factum esse quis negaverit? Atqui summum

bonorum decusque praecipuum dilectissimae Nobis Italiae hac Fide continetur, quae et mirifice eam ad omnes humanitatis artes excoluit, et sicut anteactis temporibus, ita in posterum pacem et prosperitatem ei parere sola potest. Ceterum, quando in hac saecerrima Urbe incredibilis quaedam impunitas hostibus Religionis datur, quid mirum, si secta improba, qua nihil Deo christianaeque sapientiae est inimicus, coetus suos nefarios paene sub oculis Nostris egit? Si fidem Christi, si doctrinas Ecclesiae, si Romani Pontificis auctoritatem vulgo per diaria atque in triviis, vel ab ipsis etiam magistratibus, haberi ludibrio, contumelisque onerari vidimus?

At non intra romana moenia et in finibus Italiae improborum adversus Ecclesiam impetus restiterunt. Scitis, Venerabiles Fratres, regno Lusitaniae in Republicam converso, violentam illic tempestatem invidiae et calamitatem incidisse in rem catholicam; nec ignoratis eam rerum conversionem factam esse ductu et auspiciis eiusdem illius sectae, quam diximus; ipsa enim hoc profiteri non dubitat; et factam quidem specie novandi formam rei publicae, sed reapse ad facilius opprimendam Religionem Nos, ut Apostolicum officium postulabat, legem de Civitate et Ecclesia dissociandis in luce orbis terrarum reiecit et damnavimus, illud videlicet insigne improbitatis monumentum, quo id non dubie contenditur, divellere a complexu Ecclesiae Romanae Lusitaniam, in eaque sensim omne catholicae professionis delere vestigium. Itaque revocamus hic et confirmamus omnia, quae per Encyclicas eas Literas ad Episcopos universos datas ediximus; futurum vero speramus, ut Lusitana gens, cuius vetus et nobilis laus est deditissimam esse Ecclesiae, obsistat victrix contra hostes hominum, qui, nativam omnem libertatem opprimentes, perniciem patriae caeco impetu moliuntur. Illud autem spem Nobis auget simulque consolationi est, quod videmus sacrorum Antistites Clerumque Lusitaniae, praeunte omnibus Patriarcha dignissimo, summe cohaerere cum hac Apostolica Sede, eosque potius, quam suo desint muneri officiique religionem violent, spoliationes, contumelias, carceres, denique detrimenta omne genus obire, constantia mirabili.

Iam vero, dum inimica vis, mores et instituta christiana subruendo, homines ac civitates in exitium impellit; dum pestis *Modernistica*, fucata colore scientiae, serpit callide, virusque *Naturalismi* mentibus instillando, quasi quodam gelu contrahit animos, interea benignitas admiranda est miserentis Dei, qui devios revocare ad frugem parat, novo excitato quasi incendio christianae caritatis. Sane non est quod desperemus de salute communi, cum studia catholicorum in Sanctissimam Eucharistiam tantopere ubique gentium inflammari cernimus. Innumerabiles iam ex utroque sexu

sunt homines, iique non adulti modo, sed adolescentuli etiam et pueri, qui cum Sacramentum augustum assidue colunt piissimeque diligunt, tum de ipso frequenter, non sine praeclaro fidei et virtutum ceterarum fructu, participant. Mirum quantum eodem conferunt conventus illi Eucharistici, quos catholici homines quotannis ex omnibus partibus confluentes celebrare solent. Hoc autem in genere post coetus et Coloniensem et Londinensem et Marianopolitanum, splendidissime actos uberrimoque exitu, is qui proximo tempore habitus est Matriti, non minus exstitit et ad splendorem et ad utilitatem memorabilis. Scilicet ea res agebatur, in qua non deceret Hispaniam catholicam cuiquam inferiorem esse: excitatis igitur omnium animis in liberam et ardentem professionem traditae a maioribus fidei, visa est per eos dies gens Hispanica universa se supplicem ad pedes Iesu Christi mystice latentis abiicere. Aderant quotquot sunt civitatis ordines, ab imis ad summos, frequentia maxima: elucebat autem omnibus exemplo ipse cum augusta Domo Rex Catholicus. Is quidem et voce et factis publicum mansurumque edidit pietatis documentum; sed hoc ipso et laudes sibi comparavit bonorum omnium, et causam dedit civibus, quare studiosius eum colerent et observarent. - Quid igitur in rebus religiosis vere sentiat Hispania, hic tam aperte ab ea declaratum est, ut nihil possit esse manifestius. Nempe affirmatissime testata est, non se nomine et professione tenuis, at sincere et funditus esse catholicam, constanterque hanc fidem velle retinere. Itaque si quid ipsa anhelat, non illud profecto anhelare dicenda est et cupere, ut nefastae condantur leges, quae Religionis instituta, Ecclesiaeque praerogativas et iura offendant; sed omnino hoc, ut integra conserventur vetustae necessitudinis vincula, quibus cum Sede Apostolica coniungitur. Respiciat Deus, precamur, benignus nationem Nobis carissimam, et avertat mala, quae ad tranquillitatem fortunamque eius labefactandam appetere videntur.

Nunc, Venerabiles fratres, antequam novos viduis Ecclesiis demus Episcopos, propositum Nobis est honestissimum vestrum supplere Collegium, viros aliquot cooptando virtute doctrinaque praestantes, qui sive in episcopali ministerio, sive in aliorum perfunctione munerum suam Nobis operam egregie probarunt. Hi sunt:

Iosephus Maria Cos y Machiό, Archiepiscopus Vallisoletanus;

Diomedes Falconio, Archiepiscopus Tit. Larissensis, Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Civitatibus;

Antonius Vico, Archiepiscopus Tit. Philippensis, Nuntius Apostolicus in Hispania;

Ianuarlus Granito Pignatelli di Belmonte, Archiepiscopus Tit. Edessensis;

Ioannes Maria Farley, Archiepiscopus Neo-Eboracensis;

Franciscus Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis;

Franciscus Bauer, Archiepiscopus Olomucensis;

Leo Adolfus Amette, Archiepiscopus Parisiensis;

Gulielmus O'Connell, Archiepiscopus Bostoniensis;

Henricus Almaráz y Santos, Archiepiscopus Hispalensis;

Franciscus Virgilius Dubillard, Archiepiscopus Chamberiensis;

Franciscus Nagl, Archiepiscopus Viennensis;

Franciscus Maria Anatolius de Rovérié de Cabrières, Episcopus Montis Pessulani;

Caetanum Bisleti, Pontificiae Domus Nostrae Praepositus;

Ioannes Baptista Lugari, S. R. et U. Inquisitionis Assessor;

Basilium Pompili, S. Congregationis Concilii Secretarius;

Ludovicus Billot, Sacerdos e Societate Iesu;

Gulielmus van Rossum, Sacerdos e Congreg. SS. Redemptoris.

Praeter hos alium egregium virum sacrae honore Purpureae honestare decrevimus; quem tamen iustis de causis in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et declaramus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

Iosepum Maríam Cos y Machió,

Diomedem Falconio,

Antonium Vico,

Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte,

Ioannem Mariam Farley,

Franciscum Bourne,

Franciscum Bauer,

Leonem Adolfum Amette,

Guilielmum O'Connell,

Henricum Almaráz y Santos,

Franciscum Virgillum Dubillard,

Franciscum Nagl,

Franciscum Mariam Anatolium de Rovérié de Cabrières,

Ex Ordine Diaconorum

Caetanum Bisleti,

Ioannem Baptistam Lugari,

Basilium Pompili,

Ludovicum Billot

Gulielmum van Rossum,

Item alium, ut supra diximus, Cardinalem creamus et in pectore reservamus, quandocumque arbitrio Nostro renuntiandum.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Modus recipiendi professionem
fidei catholicae a neoconversis.

Nr. 16419.

Opportunum ducimus, publicare instructionem, quam Ephemerides liturgicae anno 1911 in Cæremoniali parochorum juxta novissimas Apostolicae Sedis sanctiones concinnato quoad receptionem haereticorum in sinum S. Matris Ecclesiae nuperrime promulgaverunt. (pag. 624).

ARTICULUS IV.

Modus professionis fidei catholicae a neo-conversis excipiendi eosque in gremium Ecclesiae admittendi.

1. Quando acatholicus quicumque in gremium ecclesiae recipi postulat, observentur decreta S. R. et U. I. (20 iul. 1859, 20 nov. 1878). Serio examinandus est, quo motivo alliciatur, num coacte, aliquo re-

spectu humano, spe commodorum temporalium, an vero sincera persuasione, ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi ecclesiam. Nemo enim in sinum ecclesiae admitti debet, nisi de veritate eiusdem con-

victus serio proponat, non tantum credere, quae docet, sed etiam servare, quae praecipit,

2. Convertendus quo aut generis nobilitate aut divitiarum opulentia aut honorum gradu supra vulgus eminentior est, eo diligentiore indiget instructione. Igitur et rudis et eruditus non solum in speculativis, sed etiam in practicis doctrinis rite informandus et quotidianis ad Deum precibus aliisque bonis operibus pro illius conditione ad professionem fidei praeparandus est, ut gravitatem illius actus serio perpendat.

3. Instructio vere sufficiens plerumque absolvi debet ante admissionem ad professionem, cum postea segniores fieri soleant.

4. Qui propter publicum aliquod delictum infamis est, regulariter in sinum ecclesiae recipi non debet, usque dum meliore vivendi ratione malam famam satis purgaverit.

5. In conversione haereticorum sedulo inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti (1). Si compertum fuerit aut nullum collatum fuisse baptisma aut omnino invalide, baptizandi erunt absolute. Si certe constiterit validum fuisse, rebaptizare non licet, et recipiendi erunt tantum ad abiurationem seu professionem fidei. Si autem, investigatione peracta, adhuc rationabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur iuxta *Ordinem baptismi adultorum* (2). Igitur:

a) Si baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abiuratio nec absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis. Tunc neophytus simpliciter baptizatur iuxta *Ordinem baptismi adultorum*, et non indiget absolutione nec a censuris, cum hucusque non fuerit ecclesiae subiectus, nec a peccatis, quae baptismo diluuntur. Expediit tamen, ut neophytus baptismo suo praemittat confessionem peccatorum tamquam dispositionem ad baptismum. Utiliter etiam ante baptismum emittet professionem fidei.

b) Si facta inquisitione certo validus iudicatur baptismus in haeresi vel schismate susceptus, sola recipitur abiuratio haeresis vel schismatis seu fidei catholicae professio, quam sequitur absolutio a censuris in foro externo. Si tamen neoconversus valde desideret, ut caeremoniae in eius baptismo olim omissae hac occasione suppleantur, sacerdos huic pio eius voto

(1) S. Congr. Inquisit. die 20 nov. 1878. Acta S. Sedis XI, pag. 606.

(2) Cum neoconversus sit adultus, pro eius baptismo tum absoluto, tum conditionali servandus est *Ordo baptismi adultorum*, nisi Rmus Episcopus rationabili de causa a caeremoniis dispenset. Similiter pro supplendis caeremoniis adhibetur *Ordo supplendi omissa super baptizatum adultum*.

morem gerere poterit iuxta *Ordinem supplendi omissa super baptizatum adultum*. Dein hic neoconversus confessione generali totius vitae peracta absolute sacramentaliter in foro interno absolvi debet, antequam ad s. communionem et ad reliqua ecclesiae sacramenta admittatur.

c) Si vero, stante prudenti dubio de validitate baptismi in haeresi vel in schismate collati, baptismus sub conditione iterandus est, etiam confessio generalis totius vitae institui debet (1). Haec confessio cum prolixior esse soleat, iam diebus ipsam fidei catholicae professionem praecedentibus institui potest (2), sed absolutio sacramentalis differtur post baptismum.

In hoc igitur casu, quando baptismus sub conditione iterandus est, hoc ordine procedendum erit:

a) Abiuratio seu fidei catholicae professio.

b) Baptismus (conditionatus) (3).

c) Absolutio (conditionata) ab haeresi et censuris in foro externo.

d) Confessio generalis integra totius vitae, vel si iam ante professionem fidei instituta fuit, confessio summaria seu iterata accusatio generalis peccatorum iam declaratorum et absolutio sacramentalis conditionata (4).

e) Sacra communio et confirmatio. Si neoconversus, ut optandum, iam sufficienter instructus est, in ipsa die professionis, modo rite dispositus sit, post confessionem generalem et absolutionem sacramentalem (conditionatam) ad sacram synaxim admittetur. Si autem praeplacet, ad aliam diem aut post aliquod tempus primam communionem differre, tunc neophytus, facta

(1) Iuxta decretum S. Congr. Inquisit. die 17 dec. 1868 a neoconversis, de quorum baptismi nullitate non constat, et qui ideo sub conditione rebaptizantur, integra confessio sacramentalis omnium peccatorum exigenda est. Hoc decretum a ss. D. N. Pio IX approbatum et confirmatum fuit. — Item decreto diei 17 iunii 1715 SSmus auditis votis Emorum dixit: *Carolus Ferdinandum* (ab haeresi conversum, in cuius baptismo nonnulli errores detecti sunt) *esse rebaptizandum sub conditione et, collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvat*. Acta S. Sedis IV, p. 322.

(2) Quod praeferendum videtur, tum quia confessio erit optima dispositio ad baptismum (si primus non erat validus), tum ut neoconversus in ipso die professionis suae non tantum cum ecclesia, sed etiam (si primus baptismus fuisset validus); per absolutionem sacramentalem cum Deo reconciliari et sacra communione refici possit.

(3) Iuxta *Ordinem baptismi adultorum* (nisi Episcopus a caeremoniis dispenset), et sola forma sacramentalis conditionate preferenda est. Attamen decretum S. C. Inquisit. 20 nov. 1878 dicit: *sub conditione secreto baptizentur*.

(4) Quoties baptismus conditionalis praecessit, absolutio subsequens etiam conditionata esse debet; si enim ille baptismus immediate praecedens fuit validus, absolutio subsequens erit nulla ob defectum materiae.

confessione sacramentali culparum, quae a baptismo commisit, absolute (si materia sufficiens post baptismum adsit) sacramentaliter absolvi et ad receptionem sacramentorum admitti poterit. Quoad confirmationem, consulatur Episcopus, ut tempore sibi conveniente eam conferat.

6. Sacerdos neoconversum in gremium ecclesiae recepturus, prius (nisi ob imminens mortis periculum tempus non suppetat) a Rmo Episcopo petit necessariam facultatem absolvendi ab haeresi tam pro foro externo quam pro foro interno, et opportunas directiones seu consilia circa iterationem baptismi ac eiusdem caeremonias.

7. Ipse receptionis actus fiat quidem publice in ecclesia, accensis in altari saltem duobus cereis (aut etiam ex causa rationabili in loco privato coram Crucifixo) et praesentibus aliquibus testibus, sed absque magna solemnitate. Universim in illo actu sedulo omnia evitanda sunt, quae heterodoxos offendere et contra ecclesiam catholicam irritare possent. Cum adiuncta locorum ac temporum sint admodum diversa, quilibet consulat suum Ordinarium et fideliter sequatur eiusdem instructiones.

8. His omnibus adimpletis, sacerdos a Rmo Episcopo ad recipiendum in ecclesiam neoconversum delegatus, hora statuta, superpelliceo et stola violacea indutus, et professurus cereum accensum manu tenens adhibitis duobus ad minimum testibus, coram altari (vel coram imagine Crucifixi), accensis duobus cereis genua flectunt, et sacerdos dicit (vel cantat cum assistentibus) hymnum *Veni creator* cum V. et oratione.

9. Dein sacerdos ascendens suppedaneum sede in cornu epistolae, si ss. Sacramentum in altari asservatur, sin minus, in medio et caput cooperit. Professurus autem coram eo super infimum altaris gradum vel super dispositum scamnum genua flectit. Tunc sacerdos brevi et opportuna allocutione ei gravitatem et significationem praesentis actus clare evolvit; quo facto, neoconversus genua flexus intelligibili voce professionem fidei iuxta formulam praescriptam*) emittit, vel si nesciat legere, sacerdos sedens eandem ei lente praelegit, ut conversus eam intelligere et ei in omnibus articulis sincere et ex animo consentiendo vere suam facere valeat.

10. Quando profitens pervenit ad illa verba: *Ego N. N. promitto, voveo et iuro*, sacerdos ei offert librum evangeliorum vel missale apertum, et ipse (profitens) manum dextram vel tres priores illius digitos supra sacrum textum evangelii vel super verba *In principio erat Verbum* imponit.

*) Formula professionis fidei praescripta a S. Congregatione S. Officii die 20. Julii 1859 sequitur infra.

11. Professione emissa:

a) Si neoprofessus absolute baptizandus est, baptizatur iuxta *Ordinem baptismi adultorum* et, omissa absolute a censuris et a peccatis, statim ad participationem sacramentorum, si sufficienter instructus est, admitti potest, cum per baptismum absolutum non tantum in gremium ecclesiae receptus, sed etiam ab omni peccatorum reatu mundatus sit.

b) Si neoprofessus iam certo valide baptizatus est, baptismus iterari non potest, sed statim, si neoconversus valde desideret, caeremoniae in eius baptismo olim omissae suppleri possunt, iuxta *Ordinem supplendi omissa super baptizatum adultum*, quo facto absolvitur a censuris in foro externo et recipitur in gremium ecclesiae, ut infra.

c) Si neoprofessus, stante dubio de validitate eius baptismi, conditionate sive iuxta ordinem baptismi adultorum sive (cum dispensatione Rmi Episcopi absque caeremoniis) secreto baptizatur, mox sub conditione absolvitur a censuris in foro externo et recipitur in gremium ecclesiae modo sequenti:

12. Fidei professione suscepta (et caeremoniis baptismi suppletis vel dubio baptismo conditionate iterato), sacerdos iterum cum neoconverso et assistentibus coram altari genuflexus dicit Ps. L. *Miserere* cum *Gloria Patri* etc.; deinde surgit et dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Nihil proficiat inimicus in eo (ea).

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem (hanc famulam tuam, quam) excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

13. Postea in suppedaneo, ut infra professionem, sedens cooperto capite neoconversum ab haeresi et censuris absolvit, dicens:

Dominus noster Iesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri

Leopold' Episcopus
Papae (si a papa fuerat delegatus, alias Rmi Episcopi N. N.) mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam propter haeresim professam (aut schisma professum) incurristi (vel in dubio, an profitens excommunicationem revera incurrerit, forsitan incurristi), recipio te in gremium sanctae matris ecclesiae et restituo te communioni et unitati fidelium ac sanctis sacramentis ecclesiae: in nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.

14. Post hanc absolutionem a censuris in foro externo et receptionem in gremium ecclesiae neoconversus statim in confessione generali (si eam iam diebus praecedentibus peregit) summarie repetita, et vera contritione elicit, in foro interno sacramentaliter conditionate vel absolute (iuxta superius dicta) absoluitur et ad s. communionem seu ad participationem sacramentorum admittitur, nisi forte ex causa rationabili confessio generalis et admissio ad s. synaxim in alium diem posteriorem differenda videatur.

15. Omnibus, quae ad reconciliationem neoconversi cum ecclesia pertinent, absolutis, sacerdos coram altari stans dicit vel cum assistentibus cantat hymnum *Te Deum*, eoque finito:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Da, quaesumus, ecclesiae tuae, misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvos omnes et neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas; ut, omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

16. Sequitur brevis exhortatio ad conversum de fide conservanda et per bona opera exercenda.

17. Si plures neoconversi simul professionem fidei catholicae emittunt, unus ex illis nomine omnium (modo eandem linguam calleant) professionis formulam praelegit; sed ipsum fidei iuramentum singuli personam liter praestant et sacerdos formulas suas dicit in numero plurali.

Formula professionis fidei praescripta a S. Congregatione S. Officii die 20. Julii 1859.

Professio fidei.

„Coram sanctis Evangeliiis, quae manu mea tango, et persuasus, neminem salvari posse sine ea fide, quam sancta, catholica, apostolica, romana Ecclesia tenet, credit ac docet, et contra quam multum deliqui, admittendo ac credendo (quod nunc detestor) doctrinas, quae ejus doctrinae contradicunt — ego N. N. nunc cum dolore et contritione de meis praeteritis erroribus credo sanctam, catholicam, apostolicam, romanam Ecclesiam unicam et veram Ecclesiam esse, quam Christus in terris fundavit; eique ex toto corde me subjicio. Credo omnes articulos, quos ipsa credendos proponit, ac rejicio et condemno omnia, quae ipsa rejicit et condemnat; et paratus sum omnia observare, quae ipsa mihi praecipit.

Credo in unum solum Deum, in tres Personas divinas, quae licet ab invicem distinctae, tamen coaequales sunt, videlicet: in Patrem, in Filium et in Spiritum Sanctum.

Insuper profiteor catholicam doctrinam de Incarnatione, de Passione, Morte et Resurrectione Domini nostri Jesu Christi; admitto unionem duarum naturarum, divinae et humanae, in unicam Personam; divinam Maternitatem beatissimae Mariae sine labe conceptae, prout etiam ejus immaculatam Virginitatem.

Profiteor veram, realem, substantialem praesentiam Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi una cum ejus anima et divinitate in Sanctissimo Altaris Sacramento.

Septem esse Sacramenta a Christo Domino ad humani generis sanctificationem instituta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium.

Credo in Purgatorium, resurrectionem mortuorum et vitam aeternam.

Admitto Primatum non tantum honoris, sed etiam jurisdictionis Romani Pontificis, beati Petri principis Apostolorum ac Jesu Christi Vicarii successoris.

Cultum Sanctorum et eorum Imaginum.

Auctoritatem apostolicae et ecclesiasticae Traditionis, et ita etiam Sacrae Scripturae, quam in nullo alio sensu explicare et intelligere debemus, praeter illum, quem tenuit ac etiam nunc tenet sancta mater Ecclesia catholica.

Tandem omnia profiteor, quae per sacros Canones, oecumenica Concilia ac praesertim Tridentinum et Vaticanum stabilita et definita fuere.

Quare sincero corde et fide non ficta rejicio et anathematizo omnem errorem, omnem haeresim et sectam, quae praefatae sanctae, catholicae et apostolico-romanae Ecclesiae contraria sunt.

Sic me Deus adjuvet et haec sancta Evangelia, quae manu tango“.

Versiones in linguis vulgaribus proximo tempore publicabuntur.

Nr. 17942.

Directorium corrigatur.

Directorium pro die 23. Decembris 1911, Sabbato Quatuor Temporum, placeat ita corrigere, ut loco: Antiphonae ad Laudes et per Horas: *De Sion*, ex fer. 5. ponatur:

Antiphonae ad Laudes et per Horas: *Canite Tuba*, ex Dominica 4. Adventus.

Antiphona vero 4. ad Canticum manet *Exspectetur* et ad Benedictus: *Ecce completa sunt*.

Vacantiae beneficiorum:

Nr. 17224.

Cum per obitum A. R. et Exim. D. Antonii Cetkovský, Vicedecani et Parochi Hradištěnsis, parochiam Hradiště (dec. ejusdem. — patr. civ. reg. Hradiště), pendente excorporatione pagorum Huštěnovice et Kostelany,

Parochia:
Hradiště,

Nr. 17263.

per transitum A. R. D. Caroli Černočský, Parochi in Zlámanka, in statum otii, parochiam Zlámanka (dec. Zdounec. — patr. Fundi relig.),

Zlámanka,

Nr. 17651.

per obitum A. R. D. Francisci Kvapil, Parochi Vlčovicensis, parochiam Vlčovice (dec. Přibor. Liberae collat.) et

Vlčovice,

Nr. 16467.

per translationem A. R. D. Joannis Podmolík, Parochi in Hoflenz, ad curatiam Trnávka, curatiam Hoflenz (dec. Schildberg. — patr. Fundi relig.)

Curatia:
Hoflenz

vacare contigerit,

vacantia et tempus competentiae pro his vacantibus beneficiis usque ad diem 14. mensis Januarii 1912 publicatur. pro beneficio Hradiště cum clausula, pendente causa excorporationis pagorum Huštěnovice et Kostelany.

Mutationes status personalis.

Nr. 16858.

A. R. D. Ignatius Němec, limbo orn., a. e. Consist. Auditor et Parochus Kvasic. nominatus est a. e. Consist. Consil. tit.

Nr. 17411.

A. R. D. Joseph Franzke, Parochus Odren. constitutus est Vice-decanus Odr.

Nr. 17410.

A. R. D. Joannes Vyhlídal, Paroch. Švabenic., ornatus est Collari majore.

Nr. 16467.

8. Novembris A. R. D. Joannes Podmolík, Parochus in Hoffenz, ad curatiam Trnávka emissa prius professione fidei secundum formulam Trident. — Vaticanam canonice institutus est.

Nr. 17062.

R. D. Franciscus Šverdlík, Coop. in Neutitschein, nominatus est Capellanus.

Nr. 17263

A. R. D. Carolus Černocký, limbo orn., Parochus in Zlámanka transiit in statum otii.

In Domino defuncti sunt:

5. Novembris Soror Luitgardis Peikert, e congr. Sor. Ord. teut. Opaviae,
19. — A. R. et Exim. D. Antonius Cetkovský, Viced. et Parochus Hradišť,
19. — R. D. Joannes Orálek, Catecheta sch. civ. puell., a. e. Consist. Auditor,
24. — A. R. D. Francisci Hammer, Parochus emer., a. e. Consist. Auditor, sub par. Hnojic. et
27. — A. R. D. Franciscus Kvapil, a. e. Consist. Auditor et Paroch. Vlčovic.

Quorum animae piae memoriae vener. Cleri in ss. Missae sacrificio commendantur.

Nr. 17943.

Actum in Curia archiepiscopali Olomucii die 29. mensis Novembris 1911.

Dr. Carolus Wisnar,

Vicarius generalis.

Henricus Geisler,

A. M. Eccl. Canonicus capitularis, Cancellarius.

(Ad praesentandum).